



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

4. Matrimonium duplici sensu Sacramentum dici, & eius insolubilitas, quibus bona vel mala?

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

1. Cor. 7. 11.
Matth. 19. 9.

sancti scriptura difficilem nodum, dicente Apostolo: ex praecepto Domini, virum à muliere non discedere debere: quòd si discesserit manere inuuptum, aut viro suo reconciliari: dum recedere vique & manere inuupta, nisi ab adultero viro non debeat, ne recedendo ab eo, qui adulter non est, faciat eum moechari: reconciliari autem viro, vel tolerando, si se ipsa continere non potest, vel correcto forsitan recte potest. Quomodo autem viro possit esse licentia ducenda alterius, si adulteram reliquerit, cum mulieri non sit potestas nubendi alteri, si adulterum reliquerit, non video. Quae si ita sunt, tantum valet illud sociale vinculum coniugum, ut cum causa procreandi colligitur, nec ipsa causa procreandi soluat. Posset enim homo sterilem dimittere uxorem, & ducere de qua filios habeat, & tamen non licet, & nostris quidem iam temporibus, ac more Romano nec superducere, ut amplius habeat, quam unam uinam: & vtrique relicta adultera, ut relicta adultero possent plures nasci homines, si vel illa alteri nuberet, vel illa alteram duceret. Et libro primo de nuptijs & concupiscentiis. Usque adeo inter viuentes manent semel inita foedera nuptiarum, ut potius inter se sint coniuges etiam separati, quam cum his, quibus adhaeserunt. Et paulò post: Manet inter viuentes quoddam vinculum coniugale, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: sicut apostata anima velut de coniugio recedens Christi, etiam fide perditâ, sacramentum fidei non amittit, quod in lauacro regenerationis accepit: redderetur enim procul dubio redenti, si amissa abscedens. Habet autem hoc qui recessit, ad cumulum supplicij, non ad meritum praemij.

IV.

Vide Vasq. d.
1. n. 53. Con.
d. 24. dub. 1.
o. ad d. b. d. il.
q. 2. q. 2. q. 2.

Eph. 5. 32.

Illud hic obseruandum est, sacramenti nomen duobus accipi modis. 1. Pro signo sacro spiritualis matrimonij Christi cum Ecclesia, per naturam humanam assumptionem, perque unionem amicitiae & gratiae hominum iustorum. 2. Non solum pro eiusmodi signo, sed etiam pro signo efficaci & practico, quale ut esset, primum institutum est à Christo. Quanquam igitur, iuxta e. Gaudens. de diuortijs, etiam infidelium & primorum parentum matrimonium illam Christi cum Ecclesia coniunctionem significarit, & eapropter ab Apostolo magnum sacramentum fuerit appellatum; non tamen gratiam conferebat ex opere operato, ut nostrum; etsi ex ipsa natura sua, etiam inter

inter Ethnicos (licet id non ita curantes) secum traheret tertium hoc matrimonij bonum, quod D. Augustinus, nimirum, priore modo, vocat *sacramentum*, & ut ipse exponit, in eo consistit, ut coniugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ut causa quidem prolis, alteri coniungatur. Huius enim tam insolubilis nodi causa est ipsum jus naturæ, accedente Dei ordinatione, commutandi corporis potestatem non aliter dantis, quam in perpetuum, juxta illa: *Relinquet homo patrem, & matrem, & adheret uxori suæ: item Quod Deus coniunxit, homo non separet*: Et: *Qui dimiserit uxorem, mæchatur*. Hoc bonum æstimant, qui uxores habent bonas, & ipsi sunt boni; malum autem videtur ijs, qui mali ipsi in malas, immo & in bonas uxores inciderunt; mallent enim ab eis posse liberari; & si hoc esset, haud secus cum ijs agerent, quam cum equis, qui, si vitium alunt, si sunt calcitriones, si rodunt præsepe, si arbore quavis obuia territi resiliunt, si noctem ferunt in oculis, si scabie infecti contagium seminant, si sunt succulores, aut si ob aliam causam non placent, venduntur, vel permutantur, neque raro etiam traduntur canicidæ ad cultrum, ut vel de corio, lucrum pareretur, si aliter non prosint. Ad hunc modum, si perinde uxores malas, aut malos maritos liceret vendere, ô quàm, singulis mundinis, plenum esset forum eiusmodi mercibus; quæ utique vanales non prostituerentur, si isti tales bonum quoddam esse iudicarent, coniugij inseparabilitatem, & vinculum, quod Apostolus ipse nominat *corporis servitutem*; quæ cum sit mutua coniugum obligatio, qua corpus vnus alteri, vsq; ad mortem, obstrictum manet; reddit utique mali confortis tantò peiorem cohabitationem, quanto eam facit arctiorem ac diuturniorem. Hac servitute & malorum necessitate, non pauci sunt, qui putent coniugia contaminari, & contumeliam potius, quam boni alicuius famam noménque mereri.

Secundo modo apud multos, qui se vxoribus, aut maritis etiam optimis existimant esse felicitatos, coniugium non est *sacramentum*. Quod fit, quotiescunque coniugium vel vterque, vel alteruter non est *sacramenti*, (ut est signum efficax & practicum gratiæ, à Christo institutum) capax; nimirum quia caret

Baptismo

S. Aug. lib. 9.
super Gen.
c. 7. & l. de
Nuptijs &
concup. c. 11.
& 17.
Con. d. 26.
num. 17. & 26.
ex cap. fin. de
condit. appo-
sitis, & Trid.
sess. 24.
Gen. 29.
Matth. 19.
Luc. 16.

1. Cor. 7.

V.
Bec. cap. 44.
q. 4. num. 8.
Laym. p. 2.
c. 1. num. 1.
Henriq. l. 11.
cap. 24.